

LAPURDIUM SACRA PEREGRINATIO

By E. GALEA

Sic datur optatam tandem contingere metam.
 O quanto ferimur nostrae Genitricis amore!
 Scamno verba facit quamquam moderator ab alto,
 at tamen intentos oculos in Virginis unum
 laetantes vultum, hac donati sorte, tenemus.
 Hic sibi nam sedem caeli Regina sacravit
 qua se paeberet terrena luce tuendam
 et materna daret sanctae mandata puellae!
 Qualibus interea rapiantur pectore flammis,
 sum iam non olim, sed nunc spectare videmus
 haec fieri coram, lacrymae testantur obortae.

Primae post noctis tacitam optatamque quietem
 En ad sacratam rursus procumbimus aram,
 Hostia dum divina sacro renovatur in antro.
 Ardentes Domini nos corpore vescimur ipsi
 et simul aegroti, quorum, mirabile visu,
 aequior omnino laetusque relucet in ore
 subridente animus, quamquam tam saepe dolore
 torquentur, lecto ut vix possit membra movere.

His sua tum vero a sociis ad limina vectis,
 nos alio trahimur grato maestoque labore.
 Non longe a templo mons est, quem frondea silva
 vestit; strata manu via lente serpit eundo,
 qua septem et septem pulcherrima signa profantur
 quanta crucem amplexus tulerit Servator acerba
 ad mortem pergens ut nostra nefanda piaret.
 Singula lustramus, rite de more precantes,
 aptis accedit verbis dum corda sacerdos:
 nos neque sol radiis, via nec perlonga fatigat.

Haud vero aegroti sua ducunt tempora tectis.
 Fons est illimis fluxit qui Virginis olim
 iussu, nunc parvo regitur trahiturque meatu

ternos inque lacus lymphas effundere gaudet.
Hic quos languor habet merguntur: tendere palmas
auxilioque vocare Deum pia turba vicissim,
si velit optata miseros donare salute,
Quot lacrymae tersae! deleti et corde dolores!
Quam saepe ablutis iam desperata redivit
membrorum integritas aegris medicamine nullo!

En oculos nostros nova iam spectacula poscunt.
Undique collectam iuvenumque virumque videmus
Virginis ante specum turbam, quae, plurima, sensim
ordine progreditur sacris comitata ministris.
Extremus aurato Praesul sub tegmine fulgens
gestat velatum panis sub imagine Christum.
Carmina promentes incedunt, arboribusque
summis perque tubas, quas vis electrica pulsat,
in totum dulcis diffunditur aethera cantus.
Indeque per medios aegros transire Redemptor,
implorare omnes certam et sperare salutem.
Solatur cunctos magno conspectus amore
Iesus: depellit dirum his de corpore morbum,
pluribus illustrat caelesti lumine mentem,
edocet et cunctos melius perferre dolorem.

Resque diem nobis vere spectanda coronat.
Primae densantur liquida cum nocte tenebrae,
millia multa ferunt hominum funalia dextra,
Virginis dum extollit vox omnis consona laudes
chartaque ventorum flamمام defendit ab ira,
igneus ut fluvius clivosque viasque pererrat.
Area stipatos ante aedem denique sacram
excipit atque fidem laeto modulamine pandunt.

Extinctis alii facibus, se ad tecta reducunt,
et certant alii vasto succedere templo,
unde tegunt circum dum spissae cuncta tenebrae,
omnia dumque silent, praeterquam murmure flumen,
purpureum iubar et blandi modulamina cantus
thuris et undantes foribus funduntur odores.
Hic flexis genibus vigilem perducere noctem
dulce est, ac Iesu, qui spectans adstat in ara,

divinas laudes grates et solvere dignas,
culpas dum nostras fletu detergimus atras.
Ipseque dat veniam votis curasque serenat.

Hac detur Matris nos semper in urbe morari
et propiore Deo, placida requiescere pace!
At iucunda dies nobis vix quarta propinquat
cum revocare gradum solitosque subire labores
iam nos pacta iubent cunctantes duxque sacerdos.

Dicturique vale, tristes, ad limina Matris
colligimur tandem sub rupe, danusque cavernae
arctos amplexus, libamus et oscula grati.
Haud siccis oculis taciti divellimur inde.

Longe haec hora foret cunctis moestissima nobis
ni blande spectans Virgo solatia ferret
nos maiora docens habituros gaudia caelo.